

virtutem sacramenti. Non enim quicquam excepit, qui omnia unum atque eundem spiritum operari asserit.

22 Sepe quoque executor gratie Dei id ad mortem suam exequitur, quod a Deo per eum salus ad vitam confertur. Inter dona spiritus Dei gratiam curationum apostolus¹ ponit. Si ergo prestigiosus aliquis aliqua malefici sui arte infirmum aliquem sanat, numquid sanitas ipsa non est sanitas, aut sanitas ipsa non est donum Dei sicut alia quolibet sanitas? Et tamen: unde iste salvatur, ille dampnatur. *Si* inquit apostolus *distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habeam, nichil mihi prodest.*² Si ergo elemosina nichil illi prodest, a quo sine caritate confertur, numquid illi non prodest, cui confertur, et beneficium hoc gratie Dei donum esse non^a dicitur?

23 De sacramento corporis Christi dominus dicit in evangelio: *qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo.*³ Apostolus vero dicit ad Corinthios: *qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus domini.*⁴ Unum et idem ergo sacramentum, aliis est ad vitam, aliis est ad mortem. Qui manducat et bibit digne, vitam sibi manducat et bibit; qui vero manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus domini. Quia ergo hominis est peccare, sicut scriptum est: *non est homo qui faciat bonum et non peccet*⁵, Dei vero est iustificare, de quo scriptum est, *qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas*⁶, spiritus sanctus remittit etiam per symoniacos peccata, ubi pura confessione peccatum penitendo narratur atque dignus penitentiae fructus sequitur.

24 Queris: quid confert illorum benedictio? Si inquam benedictio est, plurimum confert. Benedictionem vero esse quis prohibet? Iudas enim proditor cum ceteris apostolis predicabat, miracula faciebat, benedictiones super populum dabat. Nunquid propter malitiam Iude sacramentorum virtus atque benedictio irrita fiebat? Qui verbum fidei ab ore illius percipiebat, credebatur, numquid salvus non fiebat? Absit. *Dicit enim scriptura: omnis qui crediderit in eum non confundetur.*⁷ Per malos autem ministros

^a) fehlt

¹) Cf. 1. Cor. 12, 28. 30. ²) 1. Cor. 13, 3. ³) Joh. 6, 57. ⁴) 1. Cor. 11, 29. ⁵) Eccl. 7, 21. ⁶) Ps. 102, 3. ⁷) Rom. 10, 11.